

ligibili, et informationem aliarum formarum est, quia non actuat intelligibiliter ad constituendam aliquam naturam, cujus se habeat ut pars, et ipsum constitutum ut totum, si quidem actuatio intelligibilis non ordinatur ad constituendum in esse entitativo, cum sint diversi ordinis.

LIV. Omnis autem natura, quæ constituitur et componitur ex aliqua forma, constituitur ad essendum, et habendum esse per illam in genere entis. Esse autem intelligibile supponit esse entis, quia intelligibilitas consequitur ad ens; igitur informatio ad esse intelligibilis repugnat quod ordinetur ad constituendam aliquam naturam, seu totum; et consequenter ejus informatio non est imperfecta per modum partis, quia pars dicit ordinem ad totum, unde informando non perficitur, sed perficit, et ideo non repugnat Deo.

LV. Si dicas: Quid est illud pure perficere, et quid est illud informare non ut pars, si quidem etiam non informat ut totum; sicut subsistentia, vel existentia, quid ergo est illud,

LVI. Respondetur, quod est informatio complens, et determinans virtutem intellectivam complemento non constituente tertiam naturam, sed intelligibiliter determinante, et objective, quatenus per illam actuationem intellectus fit aliud a se; ita quod ut intelligat hominem fit homo, ut intelligat lapidem fit lapis intentionaliter, non entitative. Illa ergo determinatio, et complementum non quo informatur in se, sed quo transformatur in rem, quam intelligit modo intentionali, dicitur esse determinatio intelligibilis, non entitativa.

LVII. Et quia objectum quasi transformatur in se intellectum constituendo illum, verbi gratia, homi-

nem, dicitur objectum quasi trahere ad suum esse intellectum non entitative, sed intentionaliter; et sic illa informatio reducitur ad genus informationis terminativæ, quatenus trahitur ad esse alterius sine constitutione alterius.

LVIII. Et nota, quod non omne complementum dicit perfectionem; quod enim est complementum tamquam modus, et aliquid in se incompletum, complens tamen aliud, imperfectio est; quod vero est complementum tamquam trahens ad suum esse rem aliquam, ut complendam in se, non dicit imperfectionem, sed perfectionem.

LIX. Et si instes: Quid dicendum sit in sententia, quod species concurrat effective cum intellectu ad cognitionem: tunc enim informat intellectum constituendo ipsum in ratione agentis.

LX. Respondetur ex Ferrariensi citato loco §. Ad primum horum, quod id, quo aliquid operatur tamquam potentia operandi, vel tamquam primo, et principali principio ab operante distincto, oportet esse formam ejus dantem ei esse; id autem quo aliquid operatur tamquam perfectivo virtutis, et complemento, non oportet quod sit forma ejus in essendo, et forma constituens aliquid tertium, sed pure perficiens id cui unitur: sic ergo cum species sit forma complens, et determinans objective, et intentionaliter potentiam, non constituit in ratione agentis, neque concurrat effective per modum virtutis, aut potentiæ, sed per modum complementi, et determinationis objectivæ. Sic autem non repugnat, quod divina essentia unita intellectui concurrat effective; non enim concurrat ut subordinata intellectui tamquam virtus ejus, sed ut pure perficiens objective, sibi intellectum subordinans. Sicut etiam substantia Angeli non subordinatur

suo intellectui ex eo quod concurrat tamquam species ad cognitionem sui; non enim est de ratione speciei subordinari intellectui, quin sit species imperfecta, et inhærens per modum accidentis.

LXI. Ad quartam implicationis impugnationem respondetur, quod in illa sententia divina essentia unitur, et supplet vicem Verbi, et speciei expressæ, non quidem quantum ad processionem ab intellectu; neque enim hoc modo potest divina essentia esse Verbum intellectus creati, quasi terminus processionis, et actionis, sed in ratione termini intellectionis, et objecti intellecti intrinsece, et formaliter, quare processionem vitalem, neque in ipso termino procedente, neque in ipsa operatione potest Deus supplere: neque ad hoc unitur essentia divina in ratione speciei expressæ, ut dicatur divina essentia Verbum procedens ab intellectu creato, sed ut dicatur objectum sufficienter applicatum, et unitum non solum in ratione principii, quod facit species impressa, sed etiam in ratione termini, et objecti intellecti in actu, quod facit species expressa.

LXII. Duplex ergo officium habet Verbum in nobis, et species expressa, alterum respectu principii secundi a quo originatur: alterum respectu objecti quod repræsentat. Respectu quidem sui principii dicit rationem termini procedentis: respectu vero objecti dicit ipsum objectum, in ratione tamen intelligibilis, et intellecti in actu. Itaque, sicut species impressa est ipsum objectum intelligibile per modum principii, et seminis intelligibilis, quo constituitur potentia actuata, et fecunda ad intelligendum; ita per speciem expressam constituitur in ratione objecti intellecti in actu, et consequenter in ratione termini intellectionis. Unde quando objectum non

est intelligibile in actu, sed potentia (sicut res materialis) redditur intelligibile in actu per speciem impressam. Si autem non sit intellectus in actu per seipsum, redditur per speciem expressam intellectum in actu, quasi proportionatum objectum, ut terminet intellectionem intra ipsum objectum. At vero respectu sui principii a quo originatur Verbum, seu species expressa, dicit ordinem originati, et procedens ut terminus vitalis.

LXIII. Sed tamen non est de ratione speciei expressæ in quantum constituit objectum intellectum in actu, quod sit procedens, et originata, ut patet in ipsa divina essentia, quæ secundum se est intelligibilis in actu puro, et consequenter non solum in ratione principii, sed etiam in ratione termini intellecti, et tamen ipsa divina essentia non est terminus productus, et procedens; id enim convenit Verbo divino naturaliter procedenti. Quando ergo unitur intellectui beati non solum in ratione speciei impressæ, sed expressæ, non intelligimus quod unitur in ratione termini vitaliter procedentis; essentia enim divina non procedit: ipsum autem Verbum, quod est Persona in divinis non supplet personaliter hanc rationem Verbi; sed per essentiam divinam, quæ unitur in ratione objecti intellectui in actu, non accipientis intelligibilitatem ab intellectione creata, quia unitur ut intelligibile in actu puro, et consequenter per se habens rationem intellecti in actu per modum objecti. Intellectio autem beatorum non producit Verbum, nec dicit aliquid, sed pure contemplatur, quia non est de ratione intellectionis Verbum producere, sed ad objectum terminari. De quo latius in parte, quæstione XII.

LXIV. Ad locum D. Augustini respondetur, ex eo nihil aliud haberi

quam quod nos adipiscimur visionem Dei increatam non formaliter, sed objective, quia ipsa Dei visio etiam est objectum nostræ cognitionis beatæ, et illam adipiscimur, non ut formam cognoscendi, sed ut objectum cognoscibile. Et hæc dixerim, si tamen S. Augustinus habet illa verba, ut referuntur, nam in eo loco in quo citatur, ego non invenio.

ARTICULUS II.

Utrum necesse fuerit in Christo ponere scientiam infusam per se, qualis ponitur a D. Thoma?

I. Non facile assignatur a theologis necessitas ponendi hanc scientiam in Christo, nam in præsentem non loquimur de scientia infusa in tota sua latitudine; dicitur enim aliqua scientia infusa, vel ratione objecti, vel ratione principii effectivi infundentis. Ratione principii omnium lumen, quod Deus per se immediate superaddit ad lumen naturale potentia intellectiva, potest dici scientia infusa, sive scientia naturalis miraculose a Deo creata, et per accidens infusa, quia totum hoc causatur ex infusione Dei, et loquendo in hac latitudine de scientia infusa instatur esse omnino certum, ita ut oppositum sit erroneum, dari in anima Christi aliquam scientiam per se infusam, saltem beatam, et donum sapientia, et scientia, de quo dicitur Isaia XI: *Et requiescit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia, et intellectus, etc.* sed præsens difficultas est de illa scientia per se infusa, quæ est talis non solum ex parte efficientis, sed quasi formaliter, et ex parte objecti, quia respicitur objectum tale, scilicet tali modo, quod nisi per infusionem Dei est cognoscibile. Et differt a scientia beata, quia non cognoscit essentiam divi-

nam clare in se, vel creaturas mediante essentia divina; sed in proprio genere, quia est scientia habitualiter permanens, et per hoc differt a revelationibus transeuntibus, et a scientia acquisita, quia hæc attingit objectum, ut naturaliter cognoscibile, et solum per accidens potest esse infusa.

II. Loquendo ergo de scientia per se infusa in prædicto sensu, oritur ratio dubitandi, quia nulla datur causa ad ponendam hanc scientiam, pro qua non sufficiat sive scientia beata, sive revelationes extra Verbum, sive scientia naturalis, sive propriis actibus acquisita, sive per accidens infusa; nam præter auctoritates Scripturæ, quæ loquuntur de scientia animæ Christi, de plenitudine ejus, possuntque sufficienter intelligi de quacumque scientia infusa ex parte objecti, ut nunc in particulari loquimur, præter istas inquam auctoritates solum triplex causa excogitari potest, ut ponamus istam scientiam in Christo.

III. Prima propter officium doctoris, quia Christus est universalis doctor omnis creaturæ intellectualis, et consequenter debet habere scientiam omnium eorum de quibus possunt edoceri homines, et Angeli, et ad hoc reducitur officium judicandi, quia de omnibus habet judicare.

IV. Secunda ratio est, propter actiones meritorias, quas habuit dum esset viator, quia regulari non poterant quatenus meritoria per scientiam beatam, quæ ex suo connaturali modo excedit statum merendi: nec per fidem, quia illa non fuit in Christo; et tamen requirebatur notitia supernaturalis, quia actus illi meritorii supernaturales erant: ergo requiritur scientia infusa supernaturalis.

V. Tertia denique ratio est propter perfectionem animæ Christi, ut

in eo sit plenitudo omnium scientiarum, et modorum intelligendi res, non solum in essentia divina, nec solum per species intellectus agentis, sed etiam per species modo angelico infusas, et habitas: quod autem nulla ex his causis sit sufficiens, sic ostenditur.

VI. Quantum ad primam probatur, quia illuminatio, et doctrina de rebus supernaturalibus sufficienter fiunt per ipsam notitiam beatam, sive revelationes factas extra Verbum; etenim Angeli superiores illuminant, et docent inferiores de rebus supernaturalibus; et tamen propter hoc non ponimus in illis aliquam scientiam infusam distinctam a scientia beata, et revelationibus extra Verbum; ergo nec anima Christi ad illuminandum Angelos, et homines (quod est officium doctoris) non indiget aliqua scientia infusa distincta a scientia beata, et revelationibus extra Verbum.

VII. Secunda etiam causa non videtur sufficiens. Nam in primis charitas, quæ est principium meriti, non potuit regulari in Christo nisi per scientiam beatam, quia si haberet unum actum regulatum per scientiam beatam, ut necesse est ponere, et alium regulatum per scientiam infusam, non evadit illud inconveniens, quod sint duo accidentia ejusdem speciei in eodem subjecto, nam charitas, et in patria, et in via ejusdem speciei est; charitas autem ut regulata per scientiam beatam adhuc potest elicere actum meritorium, quia potest elicere actum liberum, non quidem amando Deum in se, quia sic est actus necessarius, sed amando creaturas in Deo, quas beati libere diligunt, et consequenter Deum ut principium talium creaturarum, et cum connotatione ad creaturas.

VIII. Et deinde dato quod actus charitatis ut meritorii non possint

regulari per scientiam beatam, cur non sufficerent revelationes factæ extra Verbum, si quidem tales revelationes natæ sunt excitare amorem in voluntate erga res revelatas? Talis autem amor, cum esset in statu viatoris, et non pure comprehensoris, non est dubium quod poterat esse meritorius; ergo ex hoc capite superfluit scientia infusa.

IX. Denique tertia causa non videtur sufficiens; tum, quia Angeli, (ut diximus) res supernaturales extra Verbum in proprio genere cognoscunt, et docent; et tamen non habent scientiam per se infusam distinctam a scientia beata, et revelationibus; ergo sine illa potuit anima Christi esse perfecta in cognitione rerum supernaturalium in proprio genere; tum, quia ratio D. Thomæ, quæ procedit ex eo, quod esset imperfecta anima Christi, si careret ista scientia, eo quod esset in potentia ad omnia cognoscibilia, id non ostendit, quia ad istam scientiam non est nisi in potentia obedientiali; potentia enim naturalis solum est ad species acquisitas virtute intellectus agentis. Carere autem aliqua perfectione pertinente ad potentiam obedientialem non infert imperfectionem, et defectum, quia non debitum est creaturæ; neque in nobis est imperfectio carere tali scientia; ergo male D. Thomas infert illam dari in Christo, quia sequeretur imperfectio.

X. Confirmatur illa communi difficultate, quia impossibile est in eodem intellectu esse duas species intelligibiles ejusdem objecti, et duas cognitiones in actu, sicut nec duplici termino, et figura eandem quantitatem terminari.

XI. Nec sufficit dicere, quod species scientiæ infusæ, et acquisitæ circa idem objectum sunt essentialiter diversæ, si quidem scientia per se infusa etiam cognoscit res natu-